

Lucas Gernler Johannes Melletus


## **Disputatio Theologica De Proprietatibus Dei**

Basileae: Deckerus, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787863432>

Druck Freier  Zugang







In Tomo hoc XXXVII. Sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. I, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethera Sancta sui arindp.
5. Jo. Faust protri. de oratione divina ad Act. XVII, 28.
6. D. Georgij Heberlini fascic. Myrtha. Cant. I, 13.
7. Andreas Ursinius ad Psalmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Heg. Manipulus Thestii Prachtum sub B.  
Lugemamo propositarū?
10. D. Martin Gejeri conformitas Judaeo Papistica in  
doctrina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Meelführer p. tri. de Chirismo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Persequutione Venerabil.
13. Gabrielis Wedderkopff de Athelismo Sconianoru.
14. Michael Foesch de Secum naturalium Origine
15. —. De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conue-  
niunt de B.
16. & Jo. Fecht de Jndice Controversiarum.
16. a. —. de II Trinitate.
16. b. —. De Ant. Chnst.
17. —. De Jpuratione Sanebrū
18. —. De Lunatione.
19. —. De Communione sub utray

20. D. G. Festi de Aspa.  
21. —. De sacramentis.  
21. —. De vocatione Ministrorum Ecclesie.  
22. —. De Celibatu eorundem.  
23. —. De Peccato.  
24. Hoornbeek de Theologia Praxi.  
25. —. Pars posterior.  
26. —. de Tentatione Dei.  
27. —. De Autoritate N. Test.  
28. —. De Pietate.  
29. —. De Devotione.  
30. —. De Meditatione Sacra.  
31. } —. De Studio verbi divini.  
32. } —. —. —. —. —.  
33. —. De sensu divina gratia.  
34. —. De Fiducia in Deo.  
35. —. De Gaudio Spirituali.  
36. —. De Zelo.  
37. —. De Christo.  
38. —. De Ascensione Christi.  
39. —. De gloria Christi celesti.  
40. —. De Spiritu S.  
41. } —. De Providentia.  
42. }

42. } Floornbeck de Predestinationes.

43. }

44. }

44. b. — . De Sabbato.

45. — . De Ministerii acceptiones.

46. — . De Examine Ministrorum.

47. — . De eorum officio.

48. }

49. }

50. — . De Celestiorum Vita.

51. }

52. }

53. — . De Fœdere Celestio.

54. — . De Mundo.

55. — . Ad Matt. XXIII, 37. —

56. — . — . xl, 20. 21.

57. Jos. Cocceji de divinitate Script.

58. } — . de Perfectione Script.

59. }

60. } — . de Fœdere gratiæ et Vet. ac NT.

61. }

62. } — . de eo quod Icy est.

63. }

64. — . de statu Humiliationis Christi.

65. Jo. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.  
66. —. De Oblatione Christi.  
67. Wetstenij. De Unionis Personalis in Christo Forma,  
    Tunc Efficitur. etc.  
68. — Lucia Gernleri de Forma Unionis Personalis  
    in Christo.  
69. —. De Prophetibus Dei.  
70. —. De Secuto in Spiritum S.  
71. Wetstenij de Prædest. Bonorum et malorum.  
72. Gius et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
PROPRIETATIBUS  
D E I.

Quam,  
Favente DEO Trinuno,  
SUB PRÆSIDIO,

Plurimum Reverendi VIRI,  
DN. LUCÆ GERNLERI,  
S.S.Th. D.Locor. Comm. & Controv.  
Theol. Professoris Clarissimi atque Soler-  
tissimi, Ecclesiæ Patriæ Antistitis  
Vigilantissimi & Dignissimi, Præceptoris  
ac Fautoris sui æternum colendi,

Publicæ Eruditorum *αὐτῆς* ventilandam  
proponit

Sectionem scil. priorem ad diem 20. Septembr.  
posteriorem verò ad diem 11. Octobr.

*in Cancell.*

JOHANNES MELLETTUS,  
Orono-Bernâ-Helvetius.

*horis locog. solitis.*

ANNO M DC LVI.

---

BASILÆ, Typis GEORGII DECKERI,  
Academiæ Typographi.



V I R I S

*Magnificentissimis, Nobilissimis, Consultissimis  
ac Clarissimis,*

- DN. CÆSARI LENTULO, Inclytæ Reip. Bernensis Senatori gravissimo, perantiquâ profapia, Heroicis Virtutibus, & insigni eruditione Excellentissimo & Illustrissimo; DN. à Corseilles, olim Oronensi Præfecto Amplissimo, nunc verò apud Lauffannenses Præfecto designato dignissimo, Mæcenati suo paterno, omni observantiæ genere perpetim colendo.
- DN. JACOBO GRAVISETTO, Viro in omni genere eruditionis Versatissimo, DN. à Liebeck, Præfecturâ Oronensi fidelissimè nuper defuncto, Patrono suo meritissimo, ac colendissimo.
- DN. GABRIELI à WATTENWILLE, nunc Oronensi Præfecto Dignissimo, benefactori suo jugiter honorando.
- DN. JOH. CASPARO BAVHINO, Med. D. Anat. & Botan. Professori Excellentissimo ac Celeberrimo.

U T E T,

*Reverendis ac Clarissimis V I R I S,*

- DN. GEORGIO MÜLLERO, S.S. Th. in Athenæo Lauffannensi Professori Clarissimo, & p. t. Rectori Magnifico.
- DN. MARCO SAUSSURIO, in Ecclesia Lauffannensi primario Pastori disertissimo, & in Athenæo S.S. Th. Professori Acutissimo.
- DN. JOHANNIS CHOENAVERO, Ecclesiæ Gallicanæ apud Basil. Pastori Vigilantissimo, Evergetæ suo summè suspiciundo.
- DN. JACOBO GIRARDO DES BERGERIES, Med. D. Ling. Hæbr. & S. S. Th. Professori Lauffan. Excellentissimo.
- DN. JOH. FRANCISCO DE VENOPIA, in Ecclesia Lauff. Pastori fidelissimo, ibiq; Ling. Græc. & Ethicæ S. Professori Clarissimo.
- DN. PETRO FEVOTTO, in eadem Ecclesia Pastori disertissimo; & in Athenæo Philos. Theor. & Log. Professori Acutissimo. Nuper Præceptoribus suis nunquam non colendissimis.
- DN. HENRICO KISSELBACHIO, Philosopho Acutis. ac Excellentissimo, Præceptoris suo nullo non cultu prosequendo.
- DN. DANIELI MURISERIO, Ecclesiæ Arserientis Pastori fidelissimo, de se studiisque suis meritissimo.

*DN. DN. Mæcenatibus, Præceptoribus ac verè Patribus suis,  
ararem & ἀγαθὸς suspiciundis & Venerandis,*

*hæc laborum suorum ἀρεθὸν, in sui, suorumque  
Studiorum commendationem,*

*& grati animi τιμήλον*

*humillimè*

*A. I. D. D. C. O.*

**JOHANNES MELLETTUS,  
AUTHOR & DEFENDENS.**



## T H E S E S.

**Q**uoniam dixit **MAGNUS** ille Mysterii pietatis defensor *Joh. Henr. Bisterfeldius*, in *Disp. de Divin. Script. Sacr. emin. num. 6* quod *doctrina de essentia & personis divinis sit fons & basis, earumq. attributa sint norma & columna Theologiae universae*. Idcirco ego Vestigiis illius insistentis, primam hanc columnam, quae in Dei proprietatibus consistit, Studia mea Theologica firmata volui.

### S E C T I O P R I O R.

#### I.

Primum sciendum *Proprietatis* nomen hic sumi  $\alpha\upsilon\theta\eta\omega\tau\omega\mu\epsilon\tau\omega\varsigma$ , quod intelligendum  $\Theta\epsilon\omicron\pi\tau\epsilon\pi\omega\varsigma$ .

#### II.

*Proprietates Dei sunt attributa Dei essentialia, per quae Veritas ac maiestas Essentiae divina à nobis concipitur, & ab aliis distinguitur. vel, sunt ipsa Dei essentia per plures inadquatos conceptus nobis representata.*

#### III.

**Ab essentia Dei realiter non distinguuntur.**

Sunt ipsa essentia, & ipse Deus: quia I. Essentia Dei per se & ex se est simplicissima, summe & infinite perfecta. II. Illae de Essentia divina, non in concreto solum, sed etiam in abstracto, idque non tantum in casibus obliquis, sed & rectis, verè & proprie praedicantur, ut ipsa aeternitas, 1. *Sam. 15. v. 29.* Lux & Vita, *Joh. 1. v. 4. 5.* fons ejus, *Pf. 36. 10.* Caritas, 1. *Joh. 4. v. 8. 10. 16.* Sanctitas, *Amos. 4. v. 2.* coll. cum *Jerem. 51. v. 14.* Denique si essent distinctae, singulae essent finitae, vel infinitae: si illud, ipsa etiam infinitas foret finita, quod *absurdum*; si hoc, tunc aliquid à Deo realiter distinctum erit infinitum, & sic, vel Deus per se non erit infinitus, vel plura erunt infinita, quae omnia  $\alpha\pi\sigma\omicron\delta\iota\omicron\nu\sigma\alpha$  sunt.

## IV.

## A se invicem realiter non distinguuntur.

In Deo enim non est *ἀλλο καὶ ἄλλο*, ob simplicissimam Unitatem, à qua omnis differentia abest. Deinde quælibet est infinita non solum in perfectione alicujus generis, sed simpliciter in tota latitudine entis. Denique probatur ex Veritate præcedentium.

## V.

## Distinguuntur solâ ratione.

Tum propter infinitam & eminentissimam Dei perfectionem, simulque finitudinem & angustiam intellectus nostri, qui tantum finita capit, unde unicam illam perfectionem, non unico, sed pluribus *inadequatis* conceptibus apprehendit. Tum propter fundamentum, quod reperitur, non quidem *ἐν ὅβει*, & à parte rei, in se & realiter, sed *ἐν λόγῳ*, Virtualiter, effectivè & objectivè, ob scilicet diversas in diversis objectis *ἐνεργείας*; licet enim unica & simplicissima sit essentia & perfectio divina, non tamen operatur secundum adæquatam suam rationem.

## VI.

Nullæ possunt esse vel concipi creaturis *formaliter* communicabiles, quin implicetur aperta contradictio, & statuatur *oppositum in appposito*.

## VII.

Proprietates Dei considerantur *sigillatim*, vel *conjunctim*: illo modo competunt ei vel quatenus est *ens primum*, vel quatenus est *Spiritus*: quarum illæ ab aliis *primi generis*, hæc *secundi generis* vocantur. Quæ Deo, competunt quatenus est *ens primum*, sunt, *Independentia*, *Simplicitas*, & *Infinitas*, aliæque ex hisce deductæ.

## VIII.

*Independentia* est Dei proprietas, per quâ essentia divina à nobis concipitur, ut à nullo planè principio & causâ dependens.

Est enim prima causa *efficiens* & *finalis*, in quâ omnia resolvuntur, *Esa. 44. v. 1. & 46. v. 9. Apoc. 1. v. 8. 21. v. 6.* Probat idem ratio, si Deus est ens non factum, est prorsus independens, quicquid enim ab alio dependet, id fit ab eo, in quantum ab illo dependet. Cùm autem *modus essendi* sequatur *modus operandi*, etiam Deus in agendo & causando erit independens, licet ex merâ suâ indulgentiâ causis secundis utatur quandoque.

## IX.

*Simplicitas* est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut omni modo & gradu *compositionis* & *componibilitatis* carens.

Hæc absoluta Dei simplicitas probatur inde, quod sit absolute independens, & perfectissimè unus ac idem, nihilque in ipso, quod non sit ipse, *Deut. 6. v. 4. Psalm. 102. v. 28.* Patet etiam ex nominibus, dum dicitur

Gen. 2.

Gen. 2. v. 4. **¶** Exod. 3. v. 14. Denique si est ens non factum, est simplicissimus, si enim esset compositus, esset à compositione, & à componentibus foret ac dependeret, nec esset perfectissimus, quia penderet ab imperfectis, scil. suis partibus.

### X.

*Infinitas* est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut omni termino atque mensurâ carens.

Est autem Deus infinitus 1. respectu *essentia*, *Psal.* 145. v. 3. quia essentiam habet *ἄπειρος*, quæ non solum actu infinita est, in *casu obliquo*, sed actus infinitus in *recto*. 2. Respectu *durationis*. Denique ratione *loci*. Hinc fluunt Dei *Immensitas* & *Aeternitas*.

### XI.

*Immensitas* est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut carens omni fine ac termino præsentia.

Est autem semper actu præsens, sive hæc præsentia per ordinem ad *loca realia*, sive ad *spatia imaginaria* à nobis concipiatur. Si enim non esset ita immensus, certum haberet suæ præsentia terminum, adeoque nec independens, nec infinitus foret, sed ab aliquo determinatè penderet. Unde indivisibiliter, & *inextensè* est non solum totus in toto mundo, & singulis ejus *partibus*, tum *ἄσπαστος*, *Psal.* 139. v. 7. & *seqq.* *Esa.* 66. v. 1. *Jer.* 23. v. 23. 24. tum *ἕνεκεν ἅλης*, 1. *Cor.* 12. v. 6. *Act.* 17. v. 27. 28. sed etiam extra mundum. 2. *Chron.* 2. v. 6. 1. *Reg.* 8. v. 27. *Job.* 11. v. 8. 9. *Psal.* 145. v. 3. *Act.* 7. v. 48. 49.

### XII.

*Aeternitas* est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut omni termino durationis carens.

Hanc æternitatem probat Scriptura, *Gen.* 21. v. 33. *Psal.* 90. v. 2. 102. v. 28. *Esa.* 48. v. 12. *Rom.* 16. v. 26. *Apoc.* 1. v. 8. 10. v. 6. Deinde, si Deus est ens non factum, æternus est; nec *principium*, nec *finè*, nec *successionem* durationis habet. Si enim esse cœpit, factus est ac *principiatus*; si esse desinit, iterum factus, neque enim destruet se ipsum, cum omne ens appetat sui conservationem; si *successionis* durationem habet, utique fit. Hinc sequitur summa Dei *necessitas*, quâ Deus est ens summè necessarium, ita ut summè sit impossibile Deum non esse.

Ex præcedentibus duæ aliæ oriuntur Dei proprietates, nempe *Immutabilitas* & *Perfectio*.

### XIII.

*Immutabilitas* est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut carens omni possibilitate mutationis.

Hæc probatur *Psal.* 102. v. 28. *Mal.* 3. v. 6. *Rom.* 1. v. 23. 1. *Tim.* 1. v. 17. *Jacob.* 1. v. 17. Accedit *ratio*: Si Deus est ens non factum, est immutabilis, tum ratione *essentia*, tum ratione *proprietaryum essentialium*, si enim mutaretur, fieret ab aliquo, quatenus scil. mutaretur; item que penderet à mutatione: Præterea nec perfectissimus foret, quia illa mutatio aut fieret *in melius*, sic negaretur absoluta ejus perfectio *antecedenter*; aut *in deterius*, sic iterum negaretur *consequenter*; aut in prorsus *æquale*, sic foret *frustranea*.

### XIV. Perfe-

XIV.

*Perfectio est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut omni modo graduque in se & à se perfectissima, ita ut nullatenus possit esse vel concipiens perfectius.*

Hanc *divulgationem* probat Scriptura, *Psal. 86. v. 8. Esa. 46. v. 9. Job. 37. v. 15.* & ratio: nam si est ens independens, & negativè à se ipso, est ens perfectissimum, ab omni imperfectione liberrimum, & omnis perfectionis plenissimum: si enim non est perfectissimus, utique ab alio est, aut potest esse, ad certam perfectionem determinatus, & sic factus & dependens. Ex hisce patet, quod omnes perfectiones, quæ in regno nature, gratiæ & gloriæ occurrunt, suo modo in se contineat. *Act. 17. v. 25. Rom. 11. v. 36. I. Cor. 8. v. 6. II. v. 12. Jacob. 1. v. 17.*

SECTIO POSTERIOR.

XV.

Proprietates quæ Deo comperunt, quatenus est Spiritus, à nobis concipiuntur, vel per modum *Subjecti*, ut *Vita Dei*; vel per modum *Facultatum*.

*Vita Dei* est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur actuosa, intelligendo, volendo, & quæ vult potenter efficiendo.

Tribuit eam Scriptura Deo, *Psal. 36. v. 10. Jerem. 10. v. 10. Joh. 1. v. 4. 5. v. 26.* & quia simplicissima & infinita est, dicitur *Immortalitas*. *1. Tim. 1. v. 17.*

XVI.

*Facultates* sunt Dei proprietates, per quas essentia divina à nobis concipitur, per perfectissimas vitalium operationum vires.

Hæ nihil aliud sunt, quam purissimi actus, à nobis tamen per modum facultatum concipiuntur, in quantum facultates activam, eamque permanentem perfectionem exprimunt. Deinde illæ nullo modo sunt passivæ, sed perfectissimè activæ, ideoque superiores proprietates omnibus & singulis sunt applicandæ.

Facultates hæ sunt tres, *Intellectus*, *Voluntas* & *Potentia executiva*. Hæ enim ad intrinsecam Spiritus perfectionem requiruntur.

XVII.

*Intellectus* divinus est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut perfectissimè omnia cognoscendi facultas.

Hic spectandus ipsius facultatis tum *actus*, nempe *Intellectio*, tum *Virtutes*. *Intellectio* Dei consideratur ratione ipsiusmet *intelligentis*, *rerum intellectuarum*, & modi intelligendi.

XVIII. *Ratione*

XVIII.

*Ratione sui, Deus omnia intelligit propter se, à se, per se, ac in se.*

*Propter se*, quatenus illa intellectio est intima ipsius perfectio; *à se*, quatenus illa est independens, ab omni principio, etiam ab ipso objecto extra se, *ita* ut objecti mutabilis variatio nullam in eo inferat mutationem; *per se*, quatenus ipse non utitur *specie intelligibili*, sed omnia accuratissime videt *per suam essentiam*; *in se*, & quasi *ex se*, quatenus ille non *abstractivè*, vel *se*, vel *alia à se*, sed summè *intuitivè*, cognoscit. Distincta quidem à se, in se, tanquam causà primà videt eminentissimè, & juxta ipsorum proprias essentias *distinctissimè*, uno verbo: Divina essentia est ipse intellectus, intellectio, finis & principium, & quasi species intelligibilis, ac denique adæquatum suum objectum, quorum si vel unicum negetur, negatur Dei *Simplicitas, Independentia, Infinitas.*

XIX.

*Ratione rerum intellectarum Deus omnia cognoscibilia intelligit, Psal. 147. v. 5. Joh. 21. v. 17. Heb. 4. v. 13.*

Adeoque cognoscit se, *Matth. 11. v. 27. 1. Cor. 2. v. 10.*  
Et omnia à se distincta; Universalia & Singularia, *Psal. 14. v. 2. 33. v. 13. 94. v. 8. 9. 10. 11. 147. v. 4. 2. Tim. 2. v. 19.* Vera ac Falsa, Bona ac Mala, *Psal. 69. v. 6. 90. v. 8.* Prolata & Cogitata, *Matth. 12. v. 36. Gen. 6. v. 5. Psal. 139. v. 4. Rom. 8. 27. v. 18.* Necessaria & Contingentia, *Psal. 56. v. 9.* Maxima, medioxuma, minima, *Psal. 147. v. 9.* omnes Substantias & Accidentia, omnesque earum modos & gradus.

XX.

*Ratione modi intelligendi Deus intelligit omnia actu unico, independenti, simplicissimo & infinito.*

XXI.

Virtutes quæ divino intellectui attribuuntur, non significant aliquam distinctionem inter potentiam & actum, nec aliquam facultatis imperfectionem, sed summam ejus eminentiam: eæ sumuntur vel à *rebus intellectis*, ut Omniscentia, Intelligentia, Præscientia, *Καρδιγνωσία*; vel à *modo intelligendi*, ut Sapientia, Perspicacia, non interrupta considerantia, seu Vigilantia, Scientia, quæ duplex statuitur, *Scientia simplicis intelligentiæ & Visionis*; illa est, quâ Deus videt omnia ut possibilis, & fundatur proximè in Omnipotentia Dei: *hæc*, quâ videt omnia futura, & fundatur proximè in voluntate Dei. *Tertia verò*, quæ à quibusdam fingitur, quâ Deus præsciat, quid in hoc vel in illo rerum statu citra suam prædestinationem, futurum sit, nulla est.

XXII. *Voluntas*

XXII.

*Voluntas* divina est Dei proprietas, per quam essentia divina à nobis concipitur, ut perfectissima volendi facultas.

Hic quasi *actus voluntatis* nobis est considerandus, qui est *Volitio*, quæ spectatur *ratione Dei volentis, rerum volitarum, & modi volendi.*

XXIII.

*Ratione Dei volentis* *Voluntas* non est facultas à divinâ essentiâ diversa, nec *volitio* est perfectio naturæ addita, sed & *voluntas* & *volitio* est ipsissima Dei essentia, adeoque simpliciter independens, simplicissima, infinita; unde nec incipit, nec desinit velle, sed omnia quæ vult, ab æterno, unico, simplicissimo & irrevocabili actu vult.

XXIV.

*Ratione rerum volitarum* *Volitio* Dei est congruentissima, cuiuslibet naturæ accommodatissima.

Unde Duplex, respectu nostri, oritur *Voluntatis* divinæ actus, unus strictè dicitur *Volitio*, alter *Nolitio*: nam objectum divinæ voluntatis vel tanquam conveniens approbatur, vel tanquam inconveniens improbatur, si ve illa convenientia vel inconvenientia, sit talis simpliciter, vel secundum aliquem modum & gradum. *Volitio* est actus divinæ *Voluntatis*, quò vult res esse simpliciter, vel certo modo & gradu: *Nolitio* verò est actus, quò vult aliquas res non esse, vel simpliciter, vel certo modo ac gradu, & hæc non est nuda non applicatio *Voluntatis*, sed est efficax ejusdem determinatio.

XXV.

*Res* circa quas versatur Dei voluntas sunt *bonæ, vel malæ, idque summè vel non summè.*

Rem quæ est summè bona, Deus vult simpliciter & necessariò, necessitate scilicet naturæ, ita ut eam non possit non velle, nec alio modo, graduque, quam ipsius capacitas seu volibilitas requirit. Tale summum bonum est unicum, nempe ipse solus Deus, ideoque se solum ac necessariò amat, hinc quæ vult, propter se, à se, per se, & ad se vult, est enim summus omnium *Volitionum* nis.

XXVI.

*Res* non summè bonæ considerantur ratione divinæ approbationis vel executionis.

Illo modo Deus quamlibet rem amat, prout in se est amabilis, ideoque pro vario modo & gradu earum variè eas approbat; hoc modo Deus nil ita amat, ut necessariò illud velit existere, secus dependeret à rebus creatis: potest itaque eas velle, vel nolle, si spectentur simpliciter in se, & quasi ante Decretum divinæ *Voluntatis*, nam quod semel voluit, id non potest non velle, eò quòd semel voluit, idque ob suam immutabilitatem. Præterea, & si res illæ, quæ non sunt summè bonæ, inter se habeant ordinem, finem, & media, & Deus velit, ut res una sit propter aliam, non tamen vult rem unam propter

pter aliam, quia ipſemet non ſolùm res ipſas, verùm etiam rerum ſubordi-  
nationem & coordinationem vult *independentè* ab ipſis: non enim ſuæ  
volitionis cauſam impulſivam, exemplarem, vel finalem externam habet,  
ſed Deus ipſe, ejuſque voluntas, eſt ſuæ volitionis cauſa finalis, impulſiva &  
exemplaris, cùm enim divina voluntas ſit ipſamet Dei eſſentia, cauſam  
nullatenus habere poteſt.

### XXVII.

Rem ſummè malam Deus nullatenus velle poteſt, ideo-  
que ſummum malum *ſimpliciter* eſt impoſſibile, ſcil. ſummum  
malum non *in certo genere*, ſed *ſimpliciter*, omni modo graduque  
tale: nam ut Deus neceſſariò amat ſummum bonum, ita neceſ-  
ſariò odit ſummum malum.

### XXVIII.

Res malæ, quæ non ſunt ſummè tales, vel ſunt *mala culpæ*, vel  
*pœna*.

Malum culpæ eſt peccatum. quod etſi Deus non poſſit velle voluntate  
approbationis, ſecus non eſſet peccatum, tamen poteſt id velle voluntate  
executionis, non ut id faciat, ſed fieri ab angelis & hominibus quibusdam  
permittat: ſit enim *preſciente*, non *invito*, ſed *volente* Deo. Sic autem pecca-  
tum velle poteſt, quia non eſt ſummè malum, licet enim *formaliter*, & *in ſe*  
malum ſit, tamen ratione eventus eſt medium ordinatum ad bonum. *Ma-  
la pœnæ* ſunt ipſæ pœnæ, quæ ſi ſint juſtæ, non ſunt per ſe mala, ſed bonæ:  
*bonum enim eſt malis eſſe malè*. Pœna autem eſt malum paſſionis, propter ma-  
lum actionis perſonæ inſlictum: unde pœna tantùm reſpectu patientis eſt  
mala, non *ſymbioticè* & reſpectu *ſocietatis*. Notandum, quòd datur *mixtum*  
quoddam genus malorum, quæ ſint & culpæ, & pœnæ, ſeu quod duplex  
hic reſpectus uno eodemque actu poſſit concurrere; ſicut ſupratio concubi-  
narum Davidis fuit & malum culpæ, reſpectu Abſalonis, & malum pœnæ,  
reſpectu Davidis; pro diverſo autem reſpectu diverſimodè ſunt ad Dei vo-  
luntatem hi actus referendi, nempe *quæ peccata* ſunt, Deus non eſt ipſorum  
cauſa, ſed *quæ actus pœnales*: Peccatum enim peccato punire eſt Virtus.

### XXIX.

*Modus Volendi in Deo*, ipſius perfectioni & rerum volitarum  
conditioni eſt congruentiſſimus.

Eum Virtutes, quæ divinæ Voluntati tribuuntur, exprimunt: Virtutes  
autem hæ ſunt *generaliores* vel *ſpecialiores*; illæ ſunt, Libertas, Immutabili-  
tas, Sinceritas, Efficacitas, Sanctitas & Prudentia.

### XXX.

*Libertas* eſt divinæ Voluntatis perfectio, quâ ſe ipſam ad  
actiones circa creaturas, Actionisque *modos & gradus*, *independen-*  
*ter* ab omni conditione antecedente determinat.

Hinc prima omnis convenientiæ & differentiæ radix in creatis eſt liber-  
rima volitio divina; *Pſal. 115. v. 3. Rom. 9. v. 18.* niſi talis omni modo gradu-  
que libertas Deo competat, tunc ipſe non eſt ens ſummè ordinativum, ſed



etiam ordinabile, adeoque non esset simpliciter primum & independens, sed suo modo secundum & dependens.

### XXXI.

*Immutabilitas* est divinæ voluntatis perfectio, quæ ipsa id quod semel voluit vel noluit, non potest nolle vel velle, idque eo modo vel gradu, quo voluit vel noluit. *Num. 23. v. 23. Prov. 19. v. 21. Psal. 33. v. 11.* Hanc Immutabilitatem evincit Dei Omniscentia & Omnipotentia.

### XXXII.

*Sinceritas* est divinæ voluntatis Perfectio, quæ omnes ipsius actus, Executio putæ & Significatio, accuratissimè inter se congruunt.

Hinc Voluntas Dei distinguitur in *occultam* & *manifestam*, seu in Voluntatem beneplaciti & Signi: illa, est sapientissimum & efficacissimum de rebus omnibus decretum; hæc, est significatio aliqua decretorum facta creaturis rationalibus, quæ nunquam decretis repugnat, licet ea perfectè non exprimat: unde in eâ nulla est vera contrarietas, etsi ab hominibus, signa cum suis signatis male conferentibus videatur, quædã *in v. 10. Phil. 1. 10.*

### XXXIII.

*Efficacitas* est divinæ Voluntatis perfectio, quæ ipsa intentionem suam, eo modo & gradu quo vult, semper assequitur.

Hinc irresistibilis dicitur, *Esa. 46. v. 10. Job. 23. v. 13. Rom. 9. v. 19.*

### XXXIV.

*Sanctitas* est divinæ Voluntatis perfectio, quæ omnia ipsius decreta & actiones, singulari modo & gradu, æquitati congruunt.

Sanctissimus Deus dicitur, quia caret omni incongruentiâ, *Jos. 24. v. 19. Psal. 48. v. 11. Esa. 6. v. 3.*

### XXXV.

*Prudentia* est divinæ Voluntatis perfectio, quæ media, & rerum naturæ, & finibus suis accommodatissimè ordinat.

Hinc irresistibilis Dei ordinatio non tollit creaturarum intelligentium libertatem, sed eam ponit & conservat, neque enim Deus repugnat rerum à se creaturarum naturæ, sed ei maximè congruit; itaque non est oppositio inter ejus determinationem, & determinationem creaturarum, sed subordinatio, determinat enim creaturas, ut se ipsas determinent.

### XXXVI.

*Virtutes speciales* vel nullam includunt imperfectionem, vel aliquam.

*illa*

*Illæ formaliter sunt in Deo, hæc eminenter ipsique attribuendæ ratione perfectionis: Idem iudicium quoque est de Affectibus, qui ipsi tribuendi secundum effectus.*

### XXXVII.

*Potentia Dei executiva est Dei proprietas, per quã essentia divina à nobis concipitur, ut perfectissima facultas activa, quæ ad extra potest facere, quidquid est factibile.*

*Hæc spectatur ratione ipsiusmet Dei potentis, rerum possibilium, & modi operandi. Ratione Dei ipsius, Potentia est ipsissima essentia, Scientia & Voluntas divina, adeoque purissimus actus, ac potentia dicitur, non tam ratione Dei, quàm rerum possibilium. Ratione rerum possibilium est simpliciter universalis, adeoque Omnipotentia, Gen. 17. v. 1. Math. 19. v. 26. Apoc. 1. v. 8. 15. v. 3. nimirum potest facere omne factibile, id est, omne id quod vult, aut velle potest: factibile enim seu possibile est quod non includit repugnantiam entis, seu contradictionem, nempe quod nulli perfectioni divinæ, neque sibi ipsi repugnat; radices enim omnis possibilitatis sunt divinæ perfectiones, neque divina potentia fundatur in rerum possibilitate, sed potius hæc in illâ; cum omnis potentia passiva fundetur in activâ. Ex his patet quod 1. Deus non possit facere impossibilia, non ob impotentiam, sed ob infinitam potentiam, quâ non potest se huiusmodi suis attributis repugnare. 2. Quod omnem creaturarum efficientiam supplere possit, licet intrinsicam materiæ vel formæ causalitatem exercere nequeat, propter rationem modò dictam. Ratione modi, distinguitur in absolutam & ordinatam; Illa est, quâ Deus potest facere omnia possible, sive sint futura, sive non, Math. 3. v. 9. Luc. 19. v. 40. Hæc, quâ potest facere ea quæ decrevit, Ps. 115. v. 3. dicitur ordinata, quia ordinem in Regno Nature, Gratiæ, & Gloriæ, à se constitutum servat. Utraque est infinita, non quidem ex parte termini, nihil enim extra Deum potest esse infinitum, sed ex parte modi producendi, nam Deus infinitam vim exerit.*

### XXXVIII.

*Consideratio proprietatum conjunctim consistit in divina beatitudine, quæ est perfectissimus Dei, omniumque ejus proprietatum status, quò ita se habet, ut nulla perfectio ipsi desit, sed sit independens, simplicissima, & infinita beatitudo.*

*Hæc autem beatitudo est omnis creaturæ beatitudinis fons & scopus, & ex ea oritur mirabilis omnium divinarum perfectionum imitatio: Consistit in gloria & gaudio.*

### XXXIX.

*Gloria Dei est infinita ejus dignitas & majestas, quâ ipse apud creaturas intelligentes summum meretur cultum.*

*Ex hæc Dei gloria oritur actualis ejus glorificatio, quâ necessario omnia, quæ in rerum natura occurrunt, bona vel mala, ipsius Gloriæ inserviunt. Dei autem cultus in eo consistit, ut ipse omnis boni ac creaturæ beatitudinis primum principium, prima causa exemplaris, ac summus finis, agnoscat ac celebretur.*

## XL.

Gaudium Dei est summa acquiescentia, quâ ipse, in se, tanquam in summo bono, omnique suo statu, ceu beatissimo, perfectissimè acquiescit.

Hoc gaudium divinum, oritur ex divinâ ἀνυπακοία & παναρεσία, Gen. 17. v. 1. 35. v. 11.

Ex his omnibus patescit, reverà Deum esse Intellectui creato ἀκατάληπτον. Satis itaque hîc oram & crepidinem veluti Majestatis illius tetigisse, quæ hîc nube tectâ se nobis exhibet, & sponsæ suæ, per cancellos duntaxat, sui copiam facit. Deum illum Israelis supplices veneramur, ut omnes res conditas, & quæ in Cælo sunt, & quæ in Terra, & sub Terra, & in Mari, & quæcunq̃ue in eis sunt, audiamus dicentes: Ei, qui insidet Throno, & Agno, Benedictio, & Honor, & Gloria, & Robur, in secula seculorum, A M E N.

ΔΟΞΑ ΕΝ ΥΨΙΣΤΟΙΣ ΘΕΩ, ΚΑΙ ΕΠΙ ΓΗΣ ΕΙΡΥΝΗ, ΕΝ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ ΕΥΔΟΚΙΑ.



COROL-

## COROLLARIA.

I.

*An cognitio Dei sit fons, basis & norma  
omnis cognitionis? Affirm.*

II.

*An ex eo, quòd Deus sit ens non fa-  
ctum, possint demonstrari omnes Dei pro-  
prietates? Affirm.*

III.

*An Dei Simplicitas tradatur in Scri-  
ptura sacra? Affirm.*

IV.

*An Deus possit verè dici ubique & nus-  
quam? Affirm.*

V.

*An Deus sit principium movens immo-  
bile? Affirm.*

VI.

*An infallibilis Dei prescientia impo-  
nat rebus omnimodam necessitatem? Neg.*

VII.

*An libertas opponatur necessitati? Neg.*

VIII.

*An Deus velit aliquid voluntate decre-  
ti, quod nolit voluntate Signi, & vice  
versâ? Neg.*



C A R M I N A V O T I V A,

in Honorem

*Præstantissimi ac Doctissimi*

D N. R E S P O N D E N T I S,

Amici hætenus sui integerrimi.

I.

**G**randia conaris, præruptum scandere montem  
Tentas difficili DOCTE MELETE viâ.  
Quis potuit Ventos unquam concludere sacco?  
Cœlorum stellas quis numerare potis?  
Quis potuit parvo Pontum comprehendere pugno?  
Dicito quot viridis gramina campus habet?  
Quotque maris latum comprehendit littus arenas?  
Dic mihi fontanas quot capit orbis aquas?  
Non possum dicis, transcendunt omnia nostrum  
Narrata ingenium: Mens ea nulla capit.  
Qui poteris igitur penetralia pandere cœli?  
Si quæ terra tenet, non penetrare potes?  
Cur igitur lusco Summum metiris Ocello?  
Exiguoque studes concelebrare stylo?  
Quid Deus est? cæcæ superare noëmata mentis  
Quis dubitat? nullis artibus ille subest.  
Maeste animo pergas mundi celebrare Monarcham,  
Dicito de immenso Numine quanta potes.

B 3

Ardua te tentasse satis, si nōn datūr ultra,  
Lætus siste gradum: sat voluisse tibi,  
*Ut desint vires, tamen est laudanda Voluntas,*  
Hæc nos ire decet, quā tenūs ire licet.

*in Benevolentia signum  
apposuit*

M. OTTO MALETTA, SS. Th. Stud.  
Samadeno-Rhætus.

---

II.

**S**unt qui Gnossiacis perdunt sua tempora tricus,  
Sunt qui Grammaticis frivola bella movent.  
Nec defunt sævi qui malint Clasica Martis,  
Quique velint Veneris turpia castra sequi.  
Plures Thyrsiferi subvertunt pocula Bacchi,  
Pluribus in scenis nobile tempus abit.  
Tu meliora legis: quid distent erva lupinis  
Tu nosti, & apto pandere vela Noto.  
Otia declinas: Musarum castra sequendo,  
Excolis ingenium tempus in omne tuum.  
Nec manet in terris mens ignea; cælica scandit,  
Rimatur Trini dogmata sacra Dei.  
Quid Deus, & quantus, quàm sit mirabile Numen,  
Inquiris gnava mente, MELETE: Probo.  
Magnanimus pergas, summo caput insere cœlo:  
Det Deus incœptis vela secunda tuis.  
In cœlis Deus est, & fons, & origo bonorum,  
Omnia quæ claudit sunt mala terra sinu.

*Hisce amico animo  
P. D. D.*

*sui memoriam commendare voluit*

M. Balthasarus Kiffelbachius.  
Basiliensis.


**D**isplicet haud multis, nunc Martis castra ciere  
 Duri, quosq; iuvat tristia bella sequi.  
 Sunt quibus & volupe est, terras invisere multas,  
 Ut sibi corradant divitias placidas.  
 Concupiunt multi fractis invertere glebis  
 Terras, ut Cereris munera multa ferant.  
 Quot tandem (sortes hominum quis pingere posset  
 Omnes?) Nunc alio seva libido trahit.  
 Ast tua fors melior JOHANNES corde colende,  
 Cui cordi literis invigilare sacris.  
 Proderit has sanctas tandem coluisse camœnas,  
 Largaq; propterea præmia post referes.  
 Non te permoveat duri tortura laboris,  
 Absque etenim mediis finis adesse nequit.  
 Maacte piis votis, nec cursum desere coeptum,  
 Volvere perpetuâ sedulitate libros.  
 Sic & eris Patriæ, non ultima gloria terræ,  
 Præcipuè ORONI lausq; decusq; tui.  
 Annuat his studiis summi moderator Olympi,  
 Servet & æternum te Deus ille Pater.

Benevolentia nec non amoris ergo ἀνεξέδισι suo  
 mellitissimo fratri luserunt


SEBASTIANUS WLLYAMUS,  
 Ripensis, &  
 CLAUDIUS JORANUS,  
 Chenauxiacensis,


S. S. Theol. Stud. in Athenæo  
 Laufannensi.


F I N I S.




















E SACRA COENA.

ut proin rectè tùm in pyxide vel cibario affer-  
gefferetur, tùm ad ægrotos & moribundos,  
viaticum, deferatur? N. contra Pontific.  
ani, vel hostiæ consecratæ, cultus divinus &  
in Templis, tùm in publicis privatisque pro-  
hibendus sit? N. contra Pontificios.

XV.

VOCATIONE INTERNA,  
ET FIDE.

Evangelii manifestatio homini sufficiat ad fa- De l'a ès èsi.  
rum illius intelligentiam, adeoque & conver. & Nomine.  
to requiratur in super Vocatio interna, & actio  
subjectiva? N. prius: A. poster. contra Socin.  
Gratiam Evangelii, ejusque efficaciam, alia  
vocatio interna ad Christum, per lumen natu-  
ramaginis Dei scintillas, quæ proin rectè Gratia  
tur? N. contra Pontif. & Remonstrantes.  
na Vocatio efficax & salutaris dicatur tantùm  
tualiter; an verò etiam à priori, ratione volun-  
tativini, & naturæ ipsius Vocationis? N. prius:  
tra Remonstr. & Lusheranos.  
tio ad fidem efficax per Evangelium, fluat ex De Ca use  
item, ejusque fructus sit? A. contra Remonstr. Effic.  
causa, cur uni præ altero Gratia ista contingit,  
facientis de suo quod vult, juxta decre-  
æternæ; an verò causa detur à parte hominis,  
us præ altero se ex propriis viribus melius dif-  
finitione naturæ dignius usus fuerit, vel similis  
N. poster. contra Pontific. & Remonstr.  
atio hæc sit effectus meriti Christi, eique, tan-  
meritoria, accepta ferenda? A. contra Re-  
mini, uti primo Vocationis momento Deo